



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

Sectio Secvnda. Argumenta M. Paßerini, M. Mercori, M. Goneti, Candidi, &
P. Elizaldæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

mihi probabilis, ideo est in re verum; sed ad summum est mihi verum: ergo non sufficit signata probabilitas, seu certitudo de probabilitate. Contra 3. quia certitudo veritatis non est componibilis cum probabilitate veritatis; componibile autem est iudicium reflexum evidens de probabilitate veritatis; ergo hoc melius est. Ad argumentum patet ex dictis paulò antè.

SECTIO II.

Argumenta M. Passerini, M. Mercori, M. Gonet, Candidi, & P. Elizalde.

§. I.

Aliqua.

SUMMARIUM.

Argumentum, & contradictio M. Passerini, n. 41. 42. 43.
Arguit Gonet, quia assertio esset causa negationis, n. 44.
Ejus doctrina, & praxis invicem contradicunt, n. 45. 46.
Aliud certitudo de probabilitate, aliud de honestate; ea stare potest cum incertitudine honestatis, n. 47.
Arguit Candidus, quia cum iudicio scientifico de probabilitate licentia stat aliud scientificum de probabilitate non licentia, atque adeo licentia manet dubia, n. 48. 49. 50.
Bordonus cedit argumento, n. 51.
Inso argumentum ex Desparà, & Angelis, n. 52.
Inso specialiter contra Bordonum, n. 53.
Dico, quòd licet per iudicium scientificum non iudicetur directè, & immediatè veritas licentiae; iudicatur tamen mediatè, & reflexè, quòd satis est, n. 54. 55. 56.
Nego, quòd maneat dubius de licentià, qui suspendit directum, & habet reflexum; est enim certus reflexè de illà, n. 57.
Et licet sit dubius de licentià, ut est in re, non tamen ut est in mente; nam ad licitam actionem satis, quòd sit certo probabilitas licita, n. 58.
Demum etsi licentia esset dubia, est tamen certa probabilitas illius, quòd satis est, n. 59.

dicat se non curare de opposita; nam saepe docui, quòd nullam opinionem sequi possum, nisi sit certò; tum absolute, tum relative probabilis: ergo indagar probabilitatem oppositam. Adde argumentum non esse ad rem, si loquatur de opinione subjective probabilis; non enim hic quaerimus, an satis sit iudicium directum subjective probabile, sed an satis sit iudicium reflexum certum de probabilitate opinionis, juxta quam operari volo.

Vel loquitur de probabilitate objective sumpta; tunc autem sibi contradicit, nam supra meà disp. 22. sect. 2. §. 2. plura dedi ex eodem M. Passerino, quibus asserat satis esse iudicium reflexum de probabilitate veritatis, suspensò omni directo de veritate. Si autem, juxta eundem, satis est, vel iudicium reflexum de probabilitate veritatis, vel iudicium directum subjective probabilis, (nam est Probabiliorita) eo ipso cum, juxta nos, qui Probabilistae sumus, satis sit iudicium directum subjective certò probabile, etsi minus, eo ipso satis quoque erit solum iudicium reflexum certum de probabilitate, etsi minori, ipsius veritatis. Tota enim difficultas, siqua est, refunditur in hoc, quòd probabilitas sit minor, sive illa stet subjective, sive objective tantum in mente; sed quòd probabilitas sit minor, non obest, nam fusissime solvimus, quæ stant contra usum minus probabilis minus tutæ: ergo si satis est, ut ostendimus, certa probabilitas minor subjective sumpta, ut rectè operemur, satis quoque erit certa probabilitas minor objective sumpta; id est, si satis est, ut licitè operer, quòd assentiar objecto minus, certo tamen probabili; satis quoque erit, ut licitè operer, quòd certò reflexè iudicem dari eam probabilitatem veritatis, & licentiae.

Objicies 2. ex M. Gonet tom. 3. in Dissert. N. Theol. de Probabilit. n. 41. & 42. Si probabilitas reflexè cognita in aliquà opinione, seu si iudicium reflexum de probabilitate alicujus sententiæ excluderet formidinem de malitià morali opinionis, sequeretur, quòd assertio esset causa negationis, & possem rectè concludere, me non habere formidinem, & dubietatem de aliquo, quia de eo habeo formidinem, & dubietatem; hoc est absurdum; ergo & illud. Sequela probatur; quia formido, & dubietas sunt de essentia opinionis probabilis ex S. Thom. qu. 14. de Ver. s. Theol.

Sed contra 1. quia ejus doctrina ejusdem Gonet praxi contradicit; supra enim disp. 22. sect. 2. §. 2. plurima loca dedi, in quibus M. Gonet suspendit omne iudicium de

Ffij verita-

N. 41. M. Passerini. Objicies 1. ex M. Passerino tom. 1. in 2. qu. 186. n. 252. Qui solam probabilitatem opinionis sumit pro regulà agendorum, dicit, satis mihi est, quòd opinio, quam opinor, sit probabilis, de opposita non curo, & nolo eam indagare: ergo peccat.

N. 42. Sed contra; quia vel loquitur de opinione subjective probabilis; tunc autem falsum est, quòd qui assentitur opinioni probabili, Tom. III.

veritate, & appellat unice ad reflexum de objectivâ probabilitate, immo probabilitate; & quidem non tantum in materiâ speculativâ, sed sæpissime in morali: ergo & sibi contradicit, & suo argumento tenetur.

N. 46. Contra 2. quia eadem meâ *disp. l. c.* sæpe oppositam propriâ vocat valde probabilem, etsi sua sit illi probabilior. Quæro autem, quomodo, si opposita est illi valde probabilis, excutiat omnem formidinem, & dubietatem, sequendo suam sibi probabiliorem, aut reflexe judicando eam esse sibi probabiliorem? Etenim motivum oppositum, sicut facit opinionem sibi valde probabilem, ita aptum est incutere prudentem formidinem de falsitate propriæ opinionis, & de malitiâ operis ab illâ dictati: ergo tenetur suo argumento occurrere.

N. 47. Contra 3. quia confundit judicium reflexum cum directo, & objectivè probabile cū subjectivè probabili. Judicium reflexum de objectivâ probabilitate non malitiæ in tali opere, & veritatis in tali opinione, est certum, & evidens de suo objecto; objectum autem illius non est bonitas operis, & veritas opinionis; sed est probabilitas bonitatis operis, & veritatis opinionis: de hoc autem objecto nullam prorsus habet formidinem, aut dubietatem, quin habet evidentiam, & certitudinem: etenim dixi, quod licitum sit sequi judicium reflexum certum, & evidens de probabilitate veritatis opinionis, & honestatis operationis: ergo qui tale concepit judicium reflexum certum, & evidens de objectivâ veritatis opinionis, & honestatis actionis probabilitate, nullam prorsus habet formidinem de suo objecto, nempe de probabilitate veritatis, & honestatis. Judicium autem directum subjectivè certo probabile, habet quidem formidinem, non tamen dubietatem; (hæc enim strictè sumpta implicat cum assensu directo, cum sit suspensio omnis assensus directi) habet, inquam, formidinem de veritate opinionis, & de honestate actionis; attamen ea formido nihil nocet, nam non est formido de conformitate opinionis, & objecti cum regulis morum, licet sit formido de conformitate sui cum objecto, ut est in re, ut dixi *disp. 18. per votam*, sed præcipuè *sect. 8.* nec hic repetenda; cum hic mihi non sit sermo de judicio directo subjectivè probabili, an satis sit, sed an satis sit solum judicium reflexum certum de objectivâ veritatis opinionis, & honestatis operationis probabilitate. Addo, quod si M. Gonetus loquatur de judicio directo subjectivè probabili, & quærat, qualiter excludat formidinem oppositi, quæram ab eodem,

qualiter ea excludatur à judicio directo subjectivè probabili, cum incertum sit?

Objicies 3. ex Philal. *qu. 5.* Juxta nos, ut quis prudenter, & recte operetur, habere debet judicium probabile de honestate; ergo judicare debet verum esse, quod sit honestum; sed hoc non judicatur per judicium reflexum; hoc enim cadit supra probabilitatem honestatis, non supra honestatem: ergo hoc judicium reflexum non est satis. Antecedens patet ex P. Sanch. *lib. 1. Sum. cap. 9. n. 18.*

Confirmat 1. quia sunt duo inter se valde diversa, probabile est hoc esse licitum; hoc est probabiliter licitum: etenim illud judicium reflexum est scientificum, nam certo scitur probabilitas; hoc autem est opinativum: ergo si requiritur, juxta P. Sanch. & nos, judicium probabile de licentiâ actionis, eo ipso non satis est judicium reflexum de probabilitate licentiæ actionis.

Confirmat 2. quia cum judicio scientifico N. de probabilitate licentiæ stat aliud scientificum de probabilitate non licentiæ; potest tamen res per unum medium apparere licita, & per aliud illicita: ergo simul coherere possunt hæc duo judicia scientifica, probabile est actionem esse licitam; probabile est non esse licitam, ut extra dubium est: sed sive existat hoc tantum reflexum scientificum, Probabile est actionem esse licitam, sive utrumque, semper est certum, quod licentiæ rei, stante eo solo judicio scientifico de probabilitate licentiæ, maneat dubia: (quo argumento utitur etiam M. Mercorus) ergo si manet dubia, non possum sub eo solo judicio scientifico de probabilitate licentiæ velle eam actionem: ergo necesse est judicium directum, quo directè judicamus de licentiâ rei; nec satis est reflexum judicamus de probabilitate licentiæ rei; potest enim quod esse certo probabiliter licitum, & tamen in re esse illicitum. Hoc autem multo magis probat, quod satis non sit judicium reflexum scientificum de probabilitate licentiæ unitum alteri reflexo scientifico de probabilitate non licentiæ, ut patet ex terminis: ergo semper requiritur judicium directum de veritate, seu de rei licentiâ, sive sit subjectivè probabile, sive probabilius.

Scio huic argumento cedere Bordonum N. Scotistam, in utroque Jure, & Theologia fr. eruditum, nam in Propugnaculo opinionis *cap. 7. n. 16* ait, quod confirmatio Candidi concludat, quod ad rectè operandum non satis sit judicium scientificum de probabilitate licentiæ, sed præterea requiritur judicium probabile de veritate, seu licentiâ

centiā rei; quia stare potest, quod per iudicium scientificum aliquid sit licitum, & illicitum, quia hoc iudicium est de re, ut apparet, non ut est in re; potest autem per diversa motiva apparere simul licita, & illicita: ergo cum solo iudicio scientifico de probabilitate nemo potest operari, quia adhuc manet dubium de veritate, seu licentiā rei; hoc autem dubium tolli non potest nisi per iudicium subiectivē probabile, quod res sit licita. Hæc Bordonus.

N. Sed contra Candidum, & Bordonum est

52. 1. quia peto, an licitum sit operari cum solo
Philal. iudicio de probabilitate, immo de ob-
Bordon. iectivā certitudine morali de licentiā, suspensio
omni directo subiectivē probabiliori, aut
moraliter certo de licentiā? Si negant, ne-
gabant veritatem in Deiparā, in Angelis, in
Beatis, in Prudentibus satis probatam, &
usitatum modum, quo ad opera procedunt,
secluso omni periculo erroris materialis, ut
latē diximus. Si affirmant, tenebuntur suo
argumento, nam iudicium scientificum de
probabilitate, aut de morali certitudine
licentiā non est iudicium de veritate, seu de
licentiā; immo res iudicata scientificē pro-
babiliori, aut certo moraliter licita, potest
in re esse illicita.

N. Contra 2. quia hoc specialiter urget contra
53. Bordonum mordicus tuentem licitum
Bordon. usum minus probabilis, stante probabiliori
oppositā: quæro autem, qualiter possit quis
elicere iudicium probabile de licentiā, stante
iudicio scientifico reflexo de probabilitate
non licentiā? Et licet tunc intellectus
non maneat in rigore dubius, quia elicit af-
fensum directum subiectivē minus probabi-
lem de licentiā, quæro tamen, an maneat
valde formidolosus, & quidem prudenter,
& cum tanto excessu de veritate sui assensus,
& de licentiā actionis, quantum probabili-
ritas excedit probabilitatem inferiorem? &
quomodo à iudicio scientifico reflexo de
probabilitate non licentiā, non derivetur
prudenter formido de falsitate assensus di-
recti minus probabilis, & de non licentiā
rei minus probabiliter licitæ, quando cer-
titudine aliqua de veritate assensus directi mi-
nus probabilis, & de licentiā rei minus pro-
babiliter licitæ? Igitur à Bordonis argumen-
tum solvendum est.

N. In forma distinguo antecedens: Ut quis
54. prudenter operetur, habere debet iudicium
probabile de licentiā rei; probabile, inquam,
vel obiectivē, vel subiectivē, concedo; pro-
babile semper subiectivē, nego. Nam, per
nos, satis est, vel iudicium directum subie-
ctivē probabile de licentiā, etsi minus, dum-
Tom. III.

modo sit certo probabile; vel reflexum sci-
entificum; & evidens de probabilitate li-
centiā: & distinguo consequens: ergo ju-
dicare debet, vel directē, vel reflexē verum
esse, quod res sit licita, concedo consequen-
tiam; iudicare debet semper directē, nego
consequentiam. Nam satis est, ut vel iudi-
cet certam esse probabilitatem veritatis opi-
nionis, & licentiā operationis; hoc autem
est iudicare reflexē veritatem opinionis, &
licentiā operationis: vel ut iudicet certo
probabilem esse veritatem opinionis, & li-
centiam operationis, directē assentiendo ip-
si operationi ut honestæ, & ipsi opinioni ut
veræ, per iudicium subiectivē probabile, si-
ve magis, sive minus; hoc autem est iudica-
re directē veritatem opinionis, & licentiā
operationis.

Ad subsumptum distinguo: Per iudicium N.
reflexum scientificū de probabilitate verita- 55.
tis opinionis, & licentiā actionis, non ju-
dicatur directē veritas, & honestas, conce-
do; non iudicatur reflexē, & mediātē veri-
tas, & honestas, nego. Qui enim scientificē
iudicat veritatem opinionis, & licentiā
actionis esse certo probabilem, eo ipso iudi-
cat esse certo, verosimilem: certa autem si-
militudo veri, & certa similitudo honesti no-
bis sufficit, quoties veritas, & honestas ma-
nent semper incertæ. Nec ullus ostendere
poterit legem aliquam, quā rei purē verosi-
mili teneamur assentiri ut veræ, & obiectum
simile honesto teneamur iudicare esse in re
honestum. Permittitur quidem statui ho-
minum imperfecto directus ille assensus; at,
quod ad eum semper obligemur; quoties
operandum est, nemo ostendet. Si ergo in-
certam veritatem, & honestatem veniamur
per certam veri, & honesti similitudinem,
quomodo ad operandum satis non erit ip-
sum iudicium scientificum reflexum de ipsā
veri, & honesti similitudine? Rursus si ip-
sum motivum grave, seu certa probabilitas,
& verosimilitudo obiectiva satis est, ut ho-
mo eliciat prudentem assensum de rei veri-
tate, etsi in re possit esse falsus, & sub eo re-
ctē velit operationem, quæ, quia est certo
similis honesto, iudicatur directē in re ho-
nesta; ignoro, cur ipsa certa probabilitas, &
certa similitudo veri, & honesti, scientificē
cognita, non satis esse possit, ut homo, sus-
pensio omni assensu directo, qui potest esse
falsus, prudenter procedat ad ponendam
actionem certo similem honestæ, cognita
certa similitudine veritatis opinionis de
eius honestate, etsi ei opinioni non assentia-
tur.

Ad 1. confirmationem fateor esse diversa 56.
Ff iij inter

inter se ea duo iudicia, nempe iudicium reflexum scientificum, & iudicium directum probabile; & distingo consequens: Si requiritur iudicium probabile subjective, non satis est iudicium reflexum objective probabile, concedo consequentiam; aliter, nego consequentiam. Per nos autem satis est, ut dixi, iudicium reflexum de objectiva probabilitate, aut directum subjective probabile; alterutrum enim satis est; immo ita alterutrum satis est juxta nos, ut satis est, vel solum reflexum sine directo, vel solum directum sine reflexo, vel utrumque simul.

N.

57.

Ad 2. confirm. concedo, quod utrumque iudicium scientificum, unum de probabilitate licentiae, aliud de probabilitate non licentiae, simul coexistere possint. Ad hoc subsumptum, existente iudicio scientifico, si uno tantum de probabilitate licentiae, si altero etiam de probabilitate non licentiae, adhuc licentia manet dubia, seu intellectus manet dubius de licentia, si suspendatur iudicium directum probabile de licentia, distingo: manet dubius directè, transeat; manet dubius reflexè, subdistinguo: de licentia, ut est in re, concedo; de licentia, ut substat certae probabilitati, seu evidenti verosimilitudini de eo, quod res verè sit licita in re, nego. Nota duo esse in argumento: unum, quomodo si intellectus manet directè dubius de licentia rei, ut est in se, possit quis turā conscientia procedere ad volendam eam rem? Quod enim tunc maneat intellectus directè dubius, est certum, nam voluntaria omnis assensus directi suspensio est dubium. Alterum, quomodo stante utroque iudicio scientifico, uno de probabilitate licentiae, altero de probabilitate non licentiae, possit voluntas, suspensio omni iudicio directo de licentia, procedere ad honestè volendam eam rem? Etenim dato utroque iudicio reflexo, adhuc intellectus est dubius de licentia rei; immò certa probabilitas non licentiae elidit certam probabilitatem licentiae: rursus etiam detur adesse unum tantum iudicium scientificum, nempe de probabilitate licentiae, semper urget argumentum, quod licentia sit dubia; nam optimè cohæret, quod sit certò probabilis licentia rei, quin res sit in se licita.

N.

58.

Verum neutrum urget. Non primum, quia, ut quis prudenter operetur, necesse non est, ut iudicet rem esse in se licitam; sed satis est, ut iudicet, esse certò probabile, quod res in se sit licita: ergo licet intellectus sit dubius de licentia rei, & de veritate opinionis, ut sunt in se, non tamen est dubius de certā similitudine veritatis opinionis, & de

certā similitudine honestatis actionis. Cum ergo intellectus non sit reflexè dubius, etsi sit directè dubius, prout dubiam dicit suspensionem omnis assensus directi, potest voluntas regulari ad suam volitionem à iudicio reflexo scientifico de certā verosimilitudine veritatis in opinione, & de certā verosimilitudine honestatis in operatione.

Non secundum, tum quia si adit unum tantum iudicium scientificum de probabilitate licentiae, si adit etiam alterum de probabilitate non licentiae, etsi licentia, ut est in se, maneat dubia, attamen non manet dubia certā verosimilitudo licentiae; ad hoc autem ut quis rectè operetur, satis est certā verosimilitudo licentiae: tum quia falsum prorsus est, quod probabilitas non licentiae elidat probabilitatem licentiae; nam una probabilitas non elidit aliam, quia, ut saepe dixi, probabilitas à solā certitudine, & evidentia oppositi eliditur. Demum quomodo conscientia non maneat dubia, cum utroque iudicio reflexo de probabilitate licentiae, & non licentiae, ostendi disp. 13. n. 244.

§. II.

Reliqua.

SUMMARIUM.

Arguitur, quia cum iudicio scientifico de probabilitate licentiae stare potest directum de non licentia, n. 60.

Dico ad summum sequi, quod non erit licitum operari sub iudicio reflexo de probabilitate licentiae, immò cum directo de non licentia; immò vero divisò ab hoc, n. 62. 63.

Arguitur, quia volitio erit simul licita, & illicita ex utroque iudicio reflexo, uno de probabilitate licentiae, alio non licentia, n. 65.

Dico, quod scientificum de probabilitate non licentiae se habere speculative, & non dirigere, n. 66.

Cur? Ibid. & n. 67.

Arguitur, quia fas erit sequi modo probabile de valore, modo de non valore matrimonij, n. 68.

Cur etsi liceat sequi quamlibet certò probabile prohibito, non tamen liceat prohibito mutare opinionem? n. 70.

Paritas matrimonij non tenet, quia opinio de valore est speculativa, n. 71.

Si occurrat inconueniens in mutatione opinionis, non licet mutare, saepe autem occurrit; immò animus eludendi legem, n. 72.

Cur non sit probabile me peccare; immò si certum me non peccare, dum pono actionem sub iudicio certo probabili, tum de licentia, tum de non licentia? n. 73.

Arguit M. Gonetius, quia si certa probabilitas est satis, nullus ex conscientia dubia peccaret, n. 74.

Dico peccare, quoties non deponit, n. 75.

Arguit P. Eliz. quia vetatur operari sub hac regula: Est probabile: Tueri quis potest, n. 76.

Fateor ita esse, & merito: at hoc nos non dicimus, quin certam petimus probabilitatem, seu talem, ut sit, tam Patronis, quam Contrarij eadem opinio probabilis, n. 77.

N. 60. **O**bjicies 4. Cum hoc iudicio scientifico, Certo probabile est rem esse licitam, stat, vel saltem, stare potest iudicium, quod res in se non sit licita: ergo iudicium illud scientificum de probabilitate licentiae nihil prodest, nisi simul adsit iudicium directum de veritate licentiae.

N. 61. Sed contra 1. quia instatur evidenter in ipso iudicio directo subjective probabiliori, aut moraliter certo de licentia; nam eo stante, adhuc potest esse verum, quod res in se non sit licita: ergo licitum non erit operari sub eo iudicio moraliter certo de veritate licentiae.

N. 62. Contra 2. quia fateor, quod cum iudicio scientifico de probabilitate licentiae stare possit non tantum aliud scientificum de probabilitate non licentiae, quin stare possit, quod sit verum, rem non esse licitam, nam certa probabilitas, aut probabilitas, aut certitudo moralis non connectitur essentialiter cum veritate rei ut est in se: immo fateor, quod stare possit iudicium directum subjective probabilius de non licentia rei; attamen ex hoc non sequitur, quod non erit licitum operari, vel sub solo iudicio reflexo de certa probabilitate veritatis licentiae; vel sub utroque, uno de probabilitate licentiae, altero de probabilitate non licentiae, suspenso omni directo, tum de veritate licentiae, tum de veritate non licentiae.

N. 63. Ratio est; quia ad hoc ut operer, non est necesse, ut probavi, quod vere iudicem rem esse licitam in re; sed satis, ut reflexe iudicem esse certo verisimilem rem esse in re licitam; per hoc autem, quod adsit certum etiam de probabilitate non licentiae iudicium, non fit, ut non adsit evidens de certa probabilitate licentiae iudicium: non enim iudicium de certa probabilitate non licentiae excludit alterum de certa probabilitate licentiae; cum ea iudicia reflexa sint ambo affirmativa de modo, etsi unum sit negativum de dicto; iudicia autem modalia, ut bona Logica docet, non opponuntur inter se, nisi negatio cadat supra modum, quem aliud

iudicium modale affirmat.

Addo totum hoc instari; nam adhuc stante iudicio directo, etsi subjective probabiliori, de licentia, non tantum potest esse verum, quod res affirmata probabilius licita, non sit licita in re; sed etiam, stare potest utrumque iudicium reflexum, unum certum de probabilitate licentiae; aliud certum de probabilitate, etsi minori, non licentiae; ergo licitum non erit operari sub eo iudicio directo, etsi subjective probabiliori de veritate licentiae.

N. 65. **O**bjicies 5. Si quia datur iudicium scientificum de probabilitate veritatis licentiae, volitio rei evadit licita, sequitur, quod quia datur etiam iudicium scientificum de probabilitate veritatis non licentiae, eadem volitio rei evadit illicita.

N. 66. Nego sequelam; tum quia, ut dixi, iudicium scientificum de probabilitate veritatis non licentiae se habet merè speculative in mente, nec dirigit ad volitionem rei, ut certo probabiliter licita, quin implicat, ut hanc volitionem regulet; nam voluntas cognoscens certam probabilitatem tum licentiae, tum non licentiae, stat in possessione suae libertatis, ut eligat operari, vel sub iudicio certo de probabilitate veritatis licentiae; vel sub certo de probabilitate non veritatis licentiae; (scu, quod idem est in praesenti, sub iudicio certo de probabilitate veritatis non licentiae) ergo si eligat operari sub iudicio certo de probabilitate veritatis licentiae, non potest ea volitio non esse honesta.

N. 67. Quod autem iudicium illud de probabilitate non licentiae se habeat merè speculative, & quasi mortuo modo, patet: tum quia voluntas illud prudenter contemnit; non enim habet legem vetantem operari praesente iudicio de probabilitate licentiae, & de probabilitate non licentiae; sed tantum habet legem vetantem operari, si desit iudicium de probabilitate licentiae, non autem si adsit utrumque: tum quia, nulla lex nisi sit manifesta, obligat voluntatem; sed quoties adest utrumque iudicium scientificum de probabilitate licentiae, & non licentiae, lex vetans non est clara; immò aequè, aut saltem, si non aequè, certo tamen probabile est non dari legem: ergo in eo casu non vetatur voluntati operatio.

N. 68. **O**bjicies 6. Si licet operari ex solo iudicio reflexo de certa probabilitate honestatis, sequitur, quod licebit cuique mutare pro libito opinionem; hoc autem non potest non esse scandalosum: nam fas erit marito petere debitum ab uxore, sequendo opinionem proba-

probabilem de valore matrimonii; & fas erit illud negare, sequendo aliam probabilem de non valore matrimonii, adeoque nubere alteri.

N. 69. Sed contra; quia hæc obiectio non impedit iudicium reflexum, sed usum licitum opinionis minus, certò tamen practicè probabilis; eaque à nobis alibi soluta; immo, ut *ibidem* notavi, solvenda ab Adversariis obligantibus ad probabiliorē; adeoque si hodie marito opinio de valore matrimonii videatur probabilior, licebit ei petere debitum; si cras opinio opposita stans pro non valore videatur probabilior, licebit ei negare debitum, adeoque alteri nubere.

N. 70. In formā dico, esse quidem in nostrā libertate inter certò probabiles eligere quam volumus; non tamen esse in nostrā potestate facere probabilem, quæ talis non est; aut fingere iudicium scientificum de probabilitate, ubi non est: etsi autem asseramus licitum esse voluntati eligere quamlibet inter certò probabiles; non tamen inde inferitur, quòd licebit pro libito mutare opinionem; quia hæc mutatio oriri potest, vel à fraude, vel à lucro, vel ab alio inconvenienti; immò ab ipsā materiā, & esse occasio scandalii, quæ & similia motiva impediunt mutationem opinionis. Lege Mastrium in Theolog. Mor. disp. 1. n. 65. & Bordonum in Eversione Fundamentorum n. 112. qui ait falsum supponi in casu matrimonii; si enim depositio dubio petat debitum, ita firmat suam opinionem, ut ab eā recedere non possit, ducendo aliam uxorem, nam primæ summam inferret injuriam.

N. 71. Addo matrimonii paritatem non esse ad rem; tum quia in materiā Sacramentorum tenemur vel ad tutiorem, vel ad probabiliorē: ergo si opinio mutaretur, vel mutaretur in aliam probabiliorē; & sic Probabilioristæ tenebuntur solvere argumentum; vel in minus, aut æquè probabilem; tunc autem non licet: tum quia nobis sermo est de usu licito opinionis certò probabilis *practicè*; opinio autem de valore matrimonii est speculativa; ergo non est ad rem.

N. 72. Rursus addo ex Mynez 1. p. pag. 149. concedendo, quòd circa idem obiectum possumus pro libito nunc hanc, nunc oppositam sequi, dummodo quælibet sit certo practicè probabilis, & non occurrat inconveniens; nam per solam variationem sæpe possit eludi lex; quod est prorsus illicitum: cum enim Superior habeat jus certum, ut lex servetur, censendus est obligare, ne utamur eā variatione, quā lex certa reddatur inutilis. Hinc si duo horologia uno hore quadrante inter

se distent, & Sacerdos ultimo sonanti se conformans differat recitare Vesperas, non potest deinde se conformare priori horologio, auditā duodecimā, & putare se non teneri ad illas recitandas, cum hoc cedat in favorem legis. Idem similibus calibus applicandum. Quare vix video, quòd isdem servatis protus circumstantiis licita sit variatio opinionis, quin adsit animus eludendi legem, aut aliud inconveniens, vel damnum proximo.

Dices: Si est certò probabile me non peccare ob unum iudicium scientificum de probabilitate non peccati, est etiam certò probabile me peccare ob aliud iudicium scientificum de probabilitate peccati. Nego antecedens ob dicta *rotā hanc sectione*. Ad do non esse probabile me peccare, quin esse certum me non peccare sequendo certò probabilem de non peccato; quia mihi est certum, nullam dari legem vetantem sequi iudicium, five directum, five reflexum certo probabile de non peccato. Quare qui habet ea duo iudicia, *Certo probabile est picturam licere; Certo probabile est eam non licere*, ut operetur, formare debet iudicium reflexum de non peccato in sequendo iudicium scientificum de certā probabilitate licentiæ picturæ. Immo si hoc tantum habeat, aliud semper subintelligitur.

Obijcies 7. ex Gonet. tom. 3. in Tract. de N. Probabilit. n. 42. Si tota probabilitas relictæ cognita in aliquā opinione certificat conficiam. Magna. entiam de honestate operationis, nullus unquam ex conscientia dubia peccaret; nam semper haberet principium ipsum certificans de honestate suæ operationis, nimirum hoc: *Sequens quancumque sententiam probabilem de honestate, & rectitudine suæ operationis est securus*.

Respond. toties quæm peccaturum ex N. conscientia dubia, quoties dubium non deponat; quòd si semper deponat, semper sine conscientia dubia operabitur, & nunquam peccabit. At quod semper deponat, est prorsus falsum, etsi forte posset, quoties opinio est certò probabilis. Sicut ergo, juxta Gonet. nemo sequens probabiliorē peccat; potest tamen eam non sequi, & tunc peccat; resita nemo deponens conscientiam dubiam, & nixus allato principio peccat; potest tamen eam non deponere, & non assumere illud principium, quo non assumpto, peccabit, si operetur.

Obijcies 8. ex P. Elizald. lib. 6. q. 8. ve. N. tari nobis, ne in delectu opinionum utamur hac regulā: *Est probabile, tunc qui potest, auctore non caret*; ergo non satis est iudicium de probabilitate.

Respond. jure merito eum modum rejicere, quia

quia vix aliqua est opinio; quæ non sit aliqui probabilis; immò probabilior, aut moraliter certa; (juxta axioma, Nulla fœditas sine Patrono) & sic omnia sequi possemus. At hoc nos non dicimus, quin volumus evidentem esse debere probabilitatem opinionis, juxta quam quis operari velit: evidentia autem probabilitatis importat, ut opinio non tantum sit probabilis suis Patronis, sed etiam Adversariis. Lege quæ dedi *disp.* 15. n. 186. ubi etiam dixi, cur, etsi non liceret operari cum judicio reflexo de probabilitate, stante simul cum directo de falsitate opinionis, adhuc tamen licitum sit cum solo reflexo operari, secluso omni directo.

S E C T I O III.

Argumenta P. Doctoris Thyrsi.

§. I.

Aliqua.

S U M M A R I U M.

Arguit, quia judicium reflexum non est regula formalis applicans objectivam, n. 78.

In isto in judicio directo subjectivè probabiliori, quod est etiam indifferens, ut sit falsum, n. 79.

Judicium reflexum, etsi nullam Dei legem directam applicet, applicat reflexam permittentem operari sub judicio reflexo, n. 80.

Ratio, n. 81.

Ejus contradictio, n. 82. 83.

Arguit, quia hoc principium: Nemo potest licite sequi minus tutam contra legem, quin prius judicet esse veram: defenditur ab omnibus, n. 86.

A P. Esparza, & Adriano, n. 87.

A P. Terillo, n. 88.

A Navarro, P. Junio, P. Scildere, P. Suarez, & alijs, n. 89. 90. 91. 92. 93.

Nullus Antiquus hanc questionem ex professo agit: imò nostram sententiam plerique supponunt, n. 94.

Difficultas agitata est de necessitate judicii reflexi evidenter, aut certi de licito usu æque, aut minus probabilis; non vero, an satis sit reflexum de certâ probabilitate, aut probabilioritate, suspensio directo, n. 95.

Nullus est Theologus, qui sepe non resolvat questiones directas pure reflexe; imò ipsimet Adversarij, ibid.

Nullus citatus consentit cum P. Thyrsi, n. 96.

Ostendo, ibid.

Quin repugnat, ut quis sibi probabiliorum judicet firmiter verum, ibid.

P. Suarez aperte sentit oppositum, n. 97. 98.

Idem dico de P. Scildere, n. 99.

Idem de P. Valent. Adriano, P. Terillo, n. 100.

101.

Aliud est, quod DD. requirant judicium certò verum de non peccato, ne quis peccet, quod verum est; aliud, quod hoc debeat esse directum, quod falsum est, n. 102.

Immo implicat, ut probabilius directum sit certum, n. 103. 104.

Arguit 1. *dispert.* 7. à n. 51. Illicitum est operari sine bona fide; ergo sine judicio directo. Consequentia probatur; quia judicium reflexum certum de probabilitate non est regula formalis applicans objectivam, quæ est lex Dei; nam per hoc quod judico, certò probabile esse contractum licere, non applico legem Dei de licentiâ contractus, quia omne certò probabile est indifferens ad legem de licentiâ, & de non licentiâ contractus; quomodo verò quid indifferens potest esse regula formalis, aut bona fides?

Respond. concessio antecedenti, negando consequentiam; quia ipsum judicium evidens de probabilitate licentiæ contractus est bona fides. Ad probationem dico prius, totum hoc ab eo solvendum, nam in isto in judicio directo subjectivè probabiliori, quod quis affirmat, *Contractus licet*, hoc enim est prorsus incertum de veritate licentiæ; nec est necessario connexum cum veritate objecti à se enuntiati; nam ex judiciis directis subjectivè probabilioribus inter se contradictibus tot sunt falsa, quot vera; ergo per hoc, quod judicium illud directum subjectivè existens sit probabilius, non sequitur esse verum: ergo potest esse falsum, quod contractus liceat, etsi probabilius asseratur licitus: ergo cum judicium subjectivè existens, etsi probabilius, sit indifferens ad verum, & falsum, ut sunt in re, non poterit esse regula formalis applicans legem Dei de licentiâ.

Deinde dico, quod judicium reflexum certum de objectivâ probabilitate licentiæ contractus applicet legem Dei reflexam permittentem omne, quod est evidenter objectivè probabile practice. Quod si ab Adversario hæc voluntas permissiva in Deo negatur, probet nobis dari in Deo legem verantem contractum, quem reflexè judico evidenter, esse probabiliter licitum. (Quamvis ergo illud judicium reflexum evidens de probabilitate licentiæ nullam legem Dei directam applicet; & ex hoc titulo dici possit indifferens, quia cum lege nullâ Dei directâ volente, aut permittente contractum unitur; attamen applicat legem Dei, quam voco reflexam;